

10. finit, dicēs: Pax tibi. Saluant te amici. Saluta tu amicos nominatim.] Hic salu-
 rationis tropus, Pax tibi, Hebræis peculiaris est: ut ex multis hæc epistola cogno-
 scatur Ioannis apostoli fuisse, qui Hebræus fuit, & in multis hic Hebræorum lo-
 quendi formas obseruat, maxime in temporibus, ritu Hebræorum ipsis utendo,
 non more Græcorum aut nostro, quod & in euangelio & in tribus epistolis suis
 facit, ut planè intelligantur hæc etiam duæ posteriores epistolæ non fuisse à natiuo
 Græco aut Asiatico scriptæ. Et quam optat illi pacē: hæc est pax CHRISTI, quæ
 est securitas remissionis peccatorum in sanguine ipsius, & hæreditatis uitæ æter-
 næ in eodem CHRISTO domino. Et amici, id est, fideles qui erant cum Ioanne,
 qui & amabāt uera amicitia in spiritu sancto, eadem salute salutabant Caium. Et
 petunt eos fideles qui apud Caium erant, ex parte ipsorum etiam ex nomine eadē
 salute impartiri. Quam salutem & pacem nobis annuat misericordiarum pater,
 & æternæ pacis largitor. Cui per filiū & cum filio domino nostro IESU CHRI-
 STO, qui salus & pax nostra est, & spiritu sancto: honor, gloria, & gratiarum
 actio in omnia seculorum secula. Amen.

COMMENTARIJ IN TERTIAM
 Ioannis epistolam, finis.

BEATI IVDÆ

APOSTOLI EPISTOLA CANONICA:

1 **I**udas IESU CHRISTI seruus,
 2 frater autē Iacobi. His qui sunt
 in deo patre [dilectis,] & CHRI-
 STO IESU conseruatis &
 3 uocatis, misericordia uobis, &
 pax, & charitas [adimpleatur.] [Charissimi,]
 omnem [solicitudinem] faciens scribendi uobis
 de communi uestra salute, necesse habui scribere
 4 uobis: [deprecans supercertare] semel traditæ
 sanctis fidei. Subintroierunt enim quidam ho-
 mines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium)
 impij, domini nostri gratiam transferentes in [lu-
 xuriam, & solum dominatorem,] & dominum
 nostrum IESVM CHRISTVM negantes.
 5 Commonere autem uos uolo, [scientes semel
 omnia, quoniam IESVS] populum de terra Ae-
 gypti [saluans,] secundo eos qui non crediderunt
 6 perdidit. Angelos uero qui non seruauerunt
 suum [principatum,] sed dereliquerunt suum do-
 micilium, in iudicium [magni dei,] uinculis æter-
 7 nis sub caligine reseruauit. Sicut Sodomæ &



A N N O T.
 sanctificatis, ἡγιασμένοις.

multiplicetur, πληθυνθείη.
 ἀγαπητοί, ὡς infra.
 diligentiam, σπουδήν.

obsecrans ut certetis, adlabo-
 retis, πρὸ ἀκαλῶν ἐπαγωνί-
 ζεσθε.

lasciuiam ἢ solum patrem fa-
 milias deum, ἀσέλγητον καὶ
 τὸν μόνον δεσπότην θεόν.

quæ sciatis semel hoc, quoniam
 dominus, εἰδότες ὑμεῖς ἅπασι
 τὸτο, ὅτι ὁ κύριος,
 quum seruasset, σώσας.

principiū, originē, πρὸ ἀρχῆν.
 magnæ diei, μεγάλης ἡμέρας.

T

Gomorrah, & finitimæ ciuitates simili modo ex-
 fornicatæ, & [abeuntes] post carnem alterâ, [fa-
 cti sunt] exemplum ignis æterni pœnâ sustinen-
 8 tes. Similiter & hi† carnem quidem maculât,
 dominationem autem spernunt, [maiestatem]
 9 autem blasphemât. [Quum Michaël archan-
 gelus cum diabolo disputâs,] altercaret de Mosi
 corpore: non est ausus iudicium inferre blasphe-
 miæ, sed dixit: [Imperet tibi deus.] Hi autem,
 quæcunq; quidem ignorant, blasphemant, quæ-
 cunq; autem naturaliter tanquam muta animalia
 10 norunt, in his corrumpunt. Væ illis [qui
 in] uia Cain abierunt, et errore Balaam, mercede
 effusi sunt, & in contradictione Chore [abie-
 11 runt. Hi sunt in epulis suis,] maculæ conui-
 uantes [sine timore,] semetipsos pascentes, nubes
 sine aqua quæ à uentis circumferuntur, arbores
 autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ:
 [fluctus feri] maris despumâtes suas cõfusions:
 sidera errantia, quibus [procella] tenebrarũ ser-
 uata est in æternum. Prophetauit autē & de his
 septimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce uenit do-
 minus in sanctis milibus suis facere iudicium con-
 tra omnes, & arguere omnes impios† de omni-
 bus operibus impietatis eorũ quibus impie ege-
 runt, & de omnibus duris quæ loquuti sunt con-
 12 tra [deum] peccatores impij. Hi sunt murmu-
 ratores, querulosi, secundum desideria sua ambu-
 lantes, & os eorum loquitur [superbiã,] miran-
 13 tes personas, [quæstus causa.] Vos autē cha-
 rissimi, memores estote uerborũ quæ prædicta
 sunt ab apostolis domini nostri IESV CHRIS-
 TI, [qui] dicebant uobis, quoniam in [nouis-
 simis temporibus uenient] illusores, secundũ de-
 sideria sua ambulantes [in impietatibus.] Hi sunt
 qui segregant semetipsos, animales, spiritum
 14 non habentes. Vos autē charissimi, superædi-
 ficantes uosmetipsos sanctissimæ [nostræ] fidei,
 in spiritu sancto orâtes, uosmetipsos in dilectione
 dei seruate, expectantes misericordiã domini no-
 15 stri IESV CHRISTI in uitã æternam. Et hos
 quidem

A N N O T.

proficte, ἀπελθῶσα, pro-
 positæ sunt, πρόκεινται.

† somniantes, ἐνυπνιαζόμενοι.

potestates, glorias, δόξας.

Michaël autē archangelus quan-
 do cum diabolo disputans, ὁ δὲ
 μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελος ὅτε
 τῷ διαβόλῳ διακερνόμηνος.
 Increpet tibi dominus, ἐπιτι-
 μῆσαι σοὶ κύριος.

quia, ὅτι.

perierunt. Hi sunt in charitati-
 bus uestris, ἀπόλωντο. οὗτοι
 εἰσι μὲν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν
 intrepide, ἀφόβως.

unde efferre, κύματα ἀγρία
 caligo, ζόφος.

† eorum, αὐτῶν.

eum, αὐτῶν.

tumida, superba, ὑπέρογκα.
 utilitatis gratia, ὠφελείας
 χάρις.

quia, ὅτι. in nouissimo tem-
 pore erunt, ἐσχάτῳ χρόνῳ
 ἔσονται.
 impietatum, τῶν ἀσεβειῶν.

uestre, ὑμῶν.

quidem [arguite iudicatos:] illos† uero saluate de igne rapientes. ► [Alijs autem misere mini in timore,] odientes & eam quæ [carnalis est,]
 16 maculatam tunicam. Ei autem qui potens est uos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ [immaculatos] in exultatione ► in aduentu domini nostri Iesu Christi, soli [deo saluatori nostro ► per Iesum Christum dominum nostrum] gloria & magnificentia, imperium & potestas ► ante omnia secula, & nunc & in omnia secula ► seculorū. Amen.

*miseremini dijudicatos, ελεεινε διακρινομυλοι. † in timore, εν φθορα.
 à carne est, ἀπὸ τῆς σαρκος.*

irreprehensibiles, ἀμώμητοι.

sapienti, σοφῶς.

COMMENT. IN EPIST. IVDÆ.



IVDAS Thaddæus, qui aliquando Lebbæus cognominatur, filius Cleophæ, qui frater fuit Ioseph sponsi, custodis & testis fidelis, illi batæ uirginitatis mariæ, ex matre Maria Cleophæ natus, frater autem Iacobi minoris, Simonis & Ioseph iusti, quod ex Egesippo illius temporis historiarum scriptore cognoscitur, hanc epistolâ fidelibus scripsit, præmonens eos apostasiæ nonnullorum, ne latius irreperent in regno CHRISTI, sic orsus:

1. Iudas IESU CHRISTI seruus, frater autem Iacobi.] Quū esset apostolus, & eo tempore frater domini diceretur, eo quod dominus & ipse filij fratrum putabantur; non tamen ipse ueræ humilitatis causa apostolum se nuncupat, nec fratrem domini, sed solum seruum domini nostri IESU CHRISTI, ut qui illi uiueret, illi operaretur, cui etiam & martyr animam gloriosam, fructibus serui uere fidelis & irreprehensibiliter ante dominum suum conuersati plenissimam in Perseide ut uolunt reddidit. Et quod addit etiam se fratrem Iacobi, hoc fecit ad discrimen alterius Iudæ etiam olim apostoli, sed filij perditionis, qui dominum gloriæ & uitæ principem, tradidit ad perdendū synagogæ satanæ. At non perdidit, sed ipse mortem destruxit, uictor ipse mortis in immortalitate resurgens, æterna omnibus in eo & per eum qui crediderunt, & credentibus, & credituris, redemptione inuēta. Mox sanctos, id est fideles ad quos scribit, sancte salutat hoc pacto:

2. His qui sunt in deo patre dilectis, & Christo Iesu conseruatis & uocatis. Misericordia uobis, & pax & charitas adimpleatur.] Si patris misericordia nō fuisset, quomodo dilexisset nos qui à mundi exordio ipsum semper offendimus? Si ipse nos non dilexisset, nunquam filium suum unigenitum, ut uitam nobis daret æternam misisset in mundum, sed ut uere scriptum est: Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternā. Recte ergo fideles, dilecti à deo patre dicuntur, siue ut Græcus habet, ἡγιασμένοι, sanctificati. Sed qua ratione? Certe per cōseruationem in domino nostro Iesu Christo, per fidem ipsius qui est filius dei, uinculum & ratio dilectionis patris in nos: nos dico uocatos & accitos in filio per uerbum suum, per sanctum euangelium. Et qui pura fide accedit ad Christum, quo pacto dubitabit se diligi à patre, quū filius de ipsis dicat: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitā æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea, Qui uitam æternam habebunt,

Ioan. 3.

Ioan. 10.

- qui semper erunt cum filio: à quo nunquam auelli poterūt perpetua charitate cofa-
ligati, quomodo non diligentur à patre, quo modo non sanctificabuntur? Quod
uero sanctam salutationem complet, dicens: Misericordia uobis, & pax, & cha-
ritas adimpleatur, id est multiplicetur, misericordia patrem respicit: nam ipse est
2. Corinth. 1. (dicēte apostolo) Pater misericordiarum, & deus totius consolationis. Pax filiū,
Ephes. 2. quandoquidem, eodem teste, ipse est pax nostra, qui fecit utraq; unum. Caritas,
Rom. 5. spiritum sanctum, Caritas (inquit) dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum
sanctum, qui datus est nobis. Hæc igitur sancta saluatio est in misericordia pa-
tris, in pace filij, & in charitate spiritus sancti, id est in patre, in filio, & in spiritu
sancto. & hæc *ὑποστατικῶς* in multiplicatione trinæ beatitudinis immultiplicabili-
ter sunt multiplicata. Coincidūt enim hæc omnia in omnibus, siue cōiuncta in di-
uinis contempleris, ut in essentia, natura, omnipotentia, sapientia, bonitate, & id
genus: siue discreta, qualia sunt pater, uerbum, & spiritus sanctus. Ergo miseri-
cordiam, pacem, & charitatem patris imprecatur: misericordiam, pacem, & cha-
ritatem filij: misericordiam, pacem, & charitatem spiritus sancti: misericordiam,
pacem, & charitatem unius superimmedi & incomprehensibilis dei. Hic coniun-
ctæ: illic (ut sic dicam) *διαιρητικῶς*, discrete, unice in trino, & trine in uno: & hic & il-
lic super omnem sensum & intelligentiā incōprehensibiliter indiuisæ. Posita hac
salutatione, causam aperit qua inductus est, ut hac eos hortaret epistola, dicens:
3. Charissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi uobis de communi uestra
salute, necesse habui scribere uobis, deprecans supercertari semel traditæ sanctis
fidei.] Hæc sollicitudo scribendi & admonēdi necessitas erat, ut ipsi uiriliter cer-
tamen fidei euangelicæ retinerent, quæ semel à Christo tradita & euulgata à ue-
ris apostolis fuerat, ut integra, synceraq; ac illibata seruetur, & aduersus hære-
ticos & nouos dogmatistas defenderetur. Semel tradita fuit uetus lex Iudæis, illi
semel traditæ insudarunt, quibus erat mandatum nihil illi addendum esse, nihil
subtrahendum: quod obseruatum est usq; ad pharisæos & alios hæreticos, id est
sectarios, qui illi adiecerunt, & ad intelligentias suas traxerunt, & de nonnullis di-
spensarunt. Sic semel tradita est lex noua, lex euangelica à CHRISTO, & euul-
gata ubiq; ab apostolis, cui neq; addendum, neq; subtrahendum, neque quicquā
immutandum erat, quorum oppositum incipiebant iam quidam facere. Et hac de
causa scribēdi adhortandiq; necessitatē amplius aperit Iudas apostolus, cū subdit:
4. Subintroierūt enim quidam homines qui olim præscripti sunt in hoc iudiciū:
impij, domini nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem
nostrum IESVM CHRISTVM negantes.] Sicut fideles & pij ab æterno ele-
cti, præscripti & præfigurati sunt ad uitam æternā: sic infideles & impij, ab æter-
no reprobj, præscripti & præsignati ad hoc iudiciū, ad hanc condemnationem
scilicet æternam, illi uitæ fidelium piorumq; oppositam. Nam ut per filium dei re-
surrectio & immortalitas bonorum: sic resurrectio & mors perpetua malorum,
quæ est iudiciū ad quod præscripti sunt impij. Et hi maxime qui tãtam gratiam
euangelicæ lucis domini nostri Iesu Christi paruidentes, transferunt ad mundi
uoluptates, & carnis illecebras: & ipsum dominum nostrū Iesum Christum, qui
sanctitatis est autor, & solus dominator & dominus omnium est, factis & uita ne-
gant, increduli ijs quæ ab apostolis & euangelistis uerissime sunt annunciata. Nā
luxuriæ carnis non sunt cum spiritu: fides autem & credulitas non est sine spiritu.
Et impios ad hanc condemnationem esse ab antiquo designatos, etiam præfigu-
ratos ostendit primo per impios & incredulos quos post liberationem per Mo-
sen à Pharaone & Aegyptiacis tenebris, horrendisq; illis periculis liberatos, post
transitum

transitum maris rubri, & post traditam illis legem dominus deleuit in deserto: sic & isti increduli & negātes Christum, post liberationem per Christum dominum à diabolo, tenebris exterioribus, horrēdissimisq; perpetuæ mortis periculis, post susceptam baptismi in sanguine CHRISTI gratiam, post traditam illis euangelicam doctrinam in hoc mundo (feriente deo) æternaliter peribunt. Illi enim increduli, istorum in figura præcesserunt. Quod insinuat Iudas, dicens:

5. Commonere autem uos uolo, scientes semel omnia: quoniam IESVS populum de terra Aegypti saluans, secundo eos qui non crediderunt perdidit.] Quid est, Scientes semel omnia, nisi qui ex ueritate euangelica semel tradita, scitis omnia quæ saluti æternæ sunt necessaria, ne quisquam postea addat illi semel traditæ? Et quod subiungit de populo ab Aegypto liberato: factum fuisse declarat Moses Numerorū capite 11. 16. & plerisque alijs in locis. Et quod hic dicitur IESVS: Græcus habet κύριος, dominus, quod magis illi historiæ quadrat. Secundo impiorum iudicium ab antiquo præscriptum & præfiguratum monstrat in angelis reprobis, subdens:

6. Angelos uero qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suū domicilium: in iudicium magnæ diei uinculis æternis sub caligine reseruauit.] Angeli qui non seruauerunt τῷ ἐαυτῷ ἀρχήν, suum principium, suæ originis statum, in quo deus ut & beatos collocauerat, deiecti in partes inferiores, suum cœleste reliquerunt, imo perdidērunt domicilium: & illos deus de cœlo deturbatos catenis sempiternis (ut enim sensilibus sunt sensilia, sic spiritualibus spiritualia sunt uincula) uinculis omnipotentiae suæ indissolubilibus alstrictos, reseruauit in loco caliginoso, qui à cœlo ad ima continetur, hicq; illis deputauit carcerem usq; ad μεγάλης ἡμέρας, magnæ diei iudicium, quæ est dies nouissima, & dies iudicij, de qua apud Sophoniam: Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiae, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas, & super angelos excelsos. De carcere igitur caliginis transituri sunt ad iudicium tenebrarum exteriorum, & supplicium ignis æterni. Quod nisi certo expectarent, nequaquam clamassent præsentia primū aduentus omnium futuri iudicis CHRISTI territi: Quid nobis & tibi IESU fili dei? uenisti huc ante tempus torquere nos? Et nisi transituri essent ad illud supplicium ignis, dominus non diceret se in illa die diciturum ijs qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem ætænum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et hic casus & iudicium illorum angelorum, præscribit & figurat casum & iudicium impiorum: qui à regno CHRISTI quod est regnum cœlorum, non seruant suum principium, suæ spiritualis originis nascentiæq; cum electis fidelibus statum, sed ruunt in caliginem carnis, mundi & uiciorum, qui & in illis caliginibus uincti catenis peccatorum, seruantur perpetuis mortis tenebris. Tertio præfigurati sunt in mortis æternæ iudicium, à supplicio ignis Pentapoleos; id est, quinque ciuitatum Sodomæ, Gomorrhæ, & reliquarum, quæ diuina feriente uindicta igne, pice, & fulmine cœlitus terribiliter super eas descendente perierunt. Quod & sic hic Iudas apostolus tangit, dicens:

7. Sicut Sodomæ & Gomorrhæ, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni poenam sustinentes.] Qui relinquunt CHRISTVM, non relinquunt eum, nisi quia post carnem & mundum abeuntes fornicantur à deo. Et cui adherere debent non adherent: sed in immunditijs carnis & mundi, & idololatrijs adherent creaturæ, sicut ciues illi Sodomæ & Gomorrhæ, & aliarum uicinarum ciuitatum. Et ideo

non aliter expectent iudicium ignis aeterni, quam isti iudicium ignis temporalis in exemplum sunt experti, qui tamen typus erat ignis aeterni. Constat igitur impios in regno CHRISTI & dei olim fuisse praescriptos per angelos reprobos, & filios Israel ab Aegypto liberatos, & per Sodomaeos & Gomorrhaeos, & simili uitae corruptione laborantes. Praescriptio uitae CHRISTI, incorruptio & immortalitas: defectio ab ea, corruptio & mortalitas. Praescriptio, coelum, spiritus, & uita aeterna: defectio, mundus, caro, mors perpetua, Praescriptio, pietas quae est purus & syncerus dei cultus: defectio, impietas quae est a uero dei cultu auersio. Quare ut impij olim praescripti sunt inter malos angelos, qui perdidit celeste suum domicilium in loca tenebrarum: sic pij inter bonos qui primordialis originis dignitatem seruarunt, & iugiter seruant, & seruabunt in coeleste regnum. Et ut impij designati per liberatos a Pharaone & Aegypto, qui nihilominus increduli murmurauerunt aduersus deum: sic pij per eos qui semper in tentationibus deserti, quod erat figura huius mundi, steterunt, & crediderunt firmiter deo, & eum posuerunt brachium suum, fortitudinem & defensionem suam. Et ut impij per Sodomitas, Gomorrhaeos, & reliquos quos inuoluit terribilis turbo ac procella ignis diuinae ultionis: sic pij per Loth & filias eius, qui in monte saluantis dei ascendentes, terribile euaserunt iudicium. Et figuratos praefigurantes in se representant, si in bonum, multo in illis eminentius & diuinius: si in malum, multo deterius & detestabilius. Quod de impijs praescriptis, prosequitur Iudas, subdens:

8. „ Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant.] Pentapolitae quum non essent initiati, non sanctificati, neque legis susceptione, neque fidei gratia, carnem polluebant: hi autem initiati, sanctificati secunda regeneratione quae est gratia fidei, a carne ad spiritum traducti, sancta polluunt, carnem suam corpori CHRISTI sociatam inquinantes, in quo dominationem ipsam, ipsumque dominum gloriae contemnunt & paruipendunt, & insuper perditionis dogmata addentes, maiestates ipsas, non solum humanas, dei tamen uoluntate potestatem adeptas (quia omnis potestas a deo est) sed etiam ipsos apostolos & euangelistas, quos deus posuit in orbe terrarum maximos, quos & super omnem terram constituit diuinarum institutionum principes, blasphemant, illis detrahentes & sanctae doctrinae eorum, quae non eorum, sed CHRISTI, sed spiritus dei est, & in eos maledicta euomentes. Sed qua temeritate & aeternae puniendae audacia id faciant, aperit, quum ait:
9. „ Quum Michael archangelus cum diabolo disputans altericaretur de Mosi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiae, sed dixit: Imperet tibi deus. Hi autem quaecumque quidem ignorant, blasphemant: quaecumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.] Quum Michael tantus sit, ut princeps sit angelicae militiae, deturbator diaboli e caelestibus sedibus & apostasiae angelicae, dicente Ioanne in Apocalypsi: Factum est praelium magnum in caelo. Michael & angeli eius praeliabantur cum dracone, & draco pugnat & angeli eius, & non praeualuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in caelo. Et angelo quodam in Daniele: Et ecce Michael unus de principibus primis, uenit in adiutorium meum. Quum igitur tantus esset, & contenderet aduersus diabolum de corpore Mosi sepulto ministerio angelico, iubente domino, in ualle terrae Moab, e regione Phogor: nulla temeritate usus maledictum aliquod intorsit diabolo, ne blasphemiae iudicium incurreret, id attentans quod dei est imperare, increpare, condemnare: sed sententiam ac iudicium imperij, increpare

crepationis & arctæ prohibitionis reliquit deo, dicēs: Incepet tibi deus. Et quid diabolo increpet, quid arctè prohibeat, quid minis uetet qui potestatem habet eum mittendi in gehennam: nisi, ne corpus Mosi quod deus latere uoluit diabolus pessima uoluntate proderet, ut non secus Hebræi colerent Moysen, quàm Aegyptij Serapin: Quid igitur, quum ne in diabolum quidem sit blasphemandum, aut in pessimos ac infimos homines, sed iudicium deo sit relinquendum, audent isti dei potentiam & ordinationem contemnere, & in optimos quosque ac omnium mortalium dei munere summos blasphemare, & in sanctam nobis cœlitus datam euangelij doctrinam? Sed isti caligine peccatorum, & maligni tenebris obcæcati: quæcunque ignorant, blasphemant: & qui de consortio spiritus relapsi sunt ad carnem, prius similes angelis, & posterius similes effecti brutis & iumentis insipientibus computrescentibus in stercore suo: in ijs quæ natura norunt: sed corrupta quidem natura, & sensibus carnis, tanquam bruta & irrationabilia animalia corrumpuntur. O misera conditio hominum, qui angeli prius effecti, in bruta & insensata pecora transierunt, his longe infeliciores & inferiores, quod hæc post hanc uitam nulla manent mala, illos autem manent supplicia æterna. Idcirco illis à deo parata est omnis maledictio. Nec abs re, quia illos sequitur omnis malitia quæ in cæteris præcessit: quanquam in præcedentibus figura & incōsummata malitia, in ijs autem è spiritali statu relapsis consummata. Quod subiungit Iudas apostolus, dicens:

10. Væ illis qui in uia Cain abierunt, & in errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.] Via Cain, iniustitia, ut qui deum non iuste colebat, quandoquidem eius cultum deus non attendebat: & hæc etiam impietas erga deum. Via Cain inuidia, ut qui per eam fratris sui fuit homicida: & hæc impietas erga fratrem. Via Cain, diffidentia clementiæ diuinæ. Maior est (inquit) iniquitas mea, quàm ut ueniam merear: & hæc est auersio à deo, quod & eius uagatio exiliumq; monstrabat. Et hi similiter iniusti, impij in deum & fratres, & fratrum homicidæ, animas quæ longe pluris sunt quàm corpora, si non etiam corpora enecantes, & per totam uitam nihil deo fidentes. Et ideo quanto magis uiuunt, tanto magis à deo auersi, & à regno cœlesti profugij & exules. Error Balaam fuit, ut mercede conductus ab Ammonitis & Moabitibus, uoluerit maledicere populo dei: prohibitus tamen à deo non maledixit, quod ex Numerorum capite 23. cognoscitur. At isti ob quæstum & congerendas opes in omne facinus effunduntur: neque deo parent, sed execrantur et maledicunt fidei populo CHRISTI, quem sanguine suo acquisiuit, & cui deus benedixit. Contradictio Core aduersus Moysen & Aaron, & exitus rei, nota sunt ex historia Numerorum capite 16. & 26. Sic & si qui aliquando aduersus CHRISTVM & sacerdotium eius qui solus est sacerdos in æternum, se eleuarint aut eleuaturi sint in populo, summum sibi uolentes indigne usurpare CHRISTI sacerdotium, se supra apostolos & uere uerbi dei ministros efferentes. Sed ut Cain sagitta in cæcitate sagittantis, Balaam ultione dei, & Core deglutitione terræ perierunt: sic isti huiusmodi sagitta diaboli sagittante in tenebris, & uindicta dei, & descensione ad ima inferi interibunt. Præcesserunt figura, sequetur ueritas. Sed & quales sunt illi in uita, ijs ad quos scribit, reteggit amplius Iudas dicens:

Genes. 4.

11. Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuantes, sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua quæ à uentis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ: fluctus feri maris, despumantes suas confusiones: sidera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. Prophetauit autem

„ & de ijs septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce uenit dominus in sanctis milibus
 „ bus suis facere iudiciū contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus ope-
 „ ribus impietatis eorum quibus impij egerunt, & de omnibus duris quæ loquuti
 „ sunt contra eum peccatores impij.] Quum, inquit, ex charitate pauperibus fra-
 tribus conuiuia celebratis (quas agapas dicerere solent) isti impij uobiscum con-
 uiantur, & sunt inter uos maculæ, qui quum sint maculati, & sordibus inqui-
 nati, alios quoque maculant ac inquinant. Sunt semetipsos sine ullo dei timore &
 uerecundia pascentes, & cibo corporali sese refartientes: nullum exemplum ui-
 tæ, nullum pastum doctrinæ alijs ministrantes. Sunt nubes sine aqua, nullum gra-
 tiæ imbrem, illis cum quibus uersantur infundentes: sed quæ ambitionibus &
 concupiscentijs mundi, malignicj suggestionibus, carnis & diaboli huc & illuc
 impelluntur. Sunt arbores autumnales ἀκαρπα, id est, sine fructu, infructuosæ.
 Sunt arbores bis mortuæ, sine fructu, sine fronde, mortuæ in trunco & radice, in
 uerbo & opere, in corpore & anima, in hac & in altera uita. Sunt arbores eradi-
 catae, auulsæ de corpore CHRISTI, erasæ de libro uitæ. Sunt procellæ feroces hu-
 ius tumultuarij mundi: quæ ubicunque illiduntur, spumam suarum confusionū,
 suarum impietatum relinquunt. Sunt sidera, quæ nocturno tempore uidentur
 in aëra euibrata, quibus δὲ ὄφρος, id est ipsa caligo tenebrarū reseruata est in perpe-
 tuum. Ut enim ignes illi aërij citissime extinguuntur, & caligine noctis tegun-
 tur: sic isti paruo tempore, splendore diuitiarum, & pompa honorum mundi lu-
 cent, & mox subeunt æternas infernæ noctis tenebras, perenniter extincti. Sicut
 ignibus illis instar siderum in aere uagis paratæ sunt nocturnæ caligines in qui-
 bus extinguuntur: sic istis paratæ sunt tenebræ exteriores æternæ noctis, in qui-
 bus extinguantur, in quibus perpetuo crucientur. De quibus & similibus ad-
 ducit prophetiam Enoch filij Jared, qui fuit septimus ab Adam, diuinorum an-
 te diluuium arcanorum conscius & uerè fidelis, quem & deus è mundo transtu-
 lit. Librum autem Enoch ait Tertullianus Noë in arca seruasse, & posteris com-
 municasse: insuper & Hebræos occultasse post apostolorum tempora, aut reie-
 cisse, quod nimis apertum de iusto iniuste condemnando haberet testimonium.
 Sed quo autore nescio. Et quod dicunt Iudam apostolum ex apocrypho libro
 Enoch adducere testimonium hoc: Ecce uenit dominus in sanctis milibus suis,
 & quæ sequuntur, nolo digladiari: nam id apocryphum, quod secretum, quod oc-
 cultum, quod reconditum est, designat. Certum autem est hunc librum Enoch
 sic reconditum esse, ut nusquam appareat. Sic Paulus ad Colossenses dicit: In
 CHRISTO omnes thesauros sapientiæ & scientiæ esse apocryphos, id est recon-
 ditos. Non tamen intelligere uellem apocryphum, id est reconditum, tanquam
 luce indignum, ne apostolum CHRISTI temerarie iudicem, & forte spiritum
 dei qui per apostolos loquebatur, quid scis si etiam per istum? Et euangelium
 Matthæi Hebraicum, ut Hebraicum nunc nobis apocryphum, id est, recondi-
 tum est, quod si dei munere, modo usquam superstes sit, erueretur in lucem, non
 esset apocryphum, sed reiectum & uerè canonicum. Sic quod prius citauit: Quū
 Michaël archangelus cum diabolo disputans altercatur: ex aliquo libro apud
 Hebræos nō illis tunc apocrypho, sed trito & manifesto, non reiecto, sed illis ap-
 probato, temetsi non esset de canone legis, citauit. Sed quales adhuc Iudas apo-
 stolus illos faciat, qui iudiciū dei ob suam impietatem effugere non ualebunt,
 subiungit, dicens:

12 „ Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os
 „ eorum loquitur superbiam, mirantes personas quæstus causa.] Murmurato-
 res di-

res dicuntur, qui clam & secreto detrahunt & maledicunt. Querulosi, quos hic uocat *μεμψιμοίους*, diffiniuntur apud Græcos, amatores criminationum, & cupidus accusatorum & contentionum. Hi ambulat secundum desideria sua, non dei, non scripturarum, sed secundum placita carnis & hominum, quos neque honestas trahit, neque lex diuina aut humana coërcet: sed secundum suas concupiscentias ambulant, & ut Paulus ad Philippenses inquit, inimici crucis **CHRIST** **ST** I: quorum finis interitus, & quorum deus uenter est. Loquuntur superba, quum humanorum, tum maxime quum incidit sermo diuinorum. Posuerunt (inquit) os suum in coelum, & lingua eorum transiuit in terra. Hi uero admirantur personas, quæstus & turpis lucri gratia, palpant, applaudunt, adulantur. Et quid mirum si incidit occasio quoad in ipsis est: si filium dei uendunt, & cauponantur eius uerbum? Tales erant aduersus quos scribebat **CHRISTI** apostolus, Iacobi minoris apostoli frater. Tales sunt qui desciscunt à fide domini nostri **IESV CHRISTI**, qui à spiritu cadunt ad carnem, ab euangelio ad peregrinas doctrinas, de quibus Paulus: Doctrinis uarijs & peregrinis nolite abduci: à coelo ad terram, ab angelis ad dæmonia, à fide ad infidelitatem, à felicitate ad miseriam, & denique ad omne malum: qui fidem, spem, & charitatem relinquunt duces, & cum oppositis earum per deuia mortis feruntur in aeternam perditionem: qui ex semine Abraham facti sunt semen Chanaam, imò ex semine **CHRISTI** facti sunt semen antichristi & diaboli. Et ut paucis omnia complectar: ij iuxta apostoli Pauli sententiam, repleti sunt omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, pleni inuidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate. Hi sunt susurriones, detrectatores, deo odibiles, contumeliosi, superbi, elati, inuentores malorum, parentibus inobedientes, insipientes, incompositi, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia, quos tradidit deus in reprobum sensum. O quam adhærere deo bonum est, ponere in domino spem suam, non discedere à **CHRISTO**, ne tradamur in reprobum sensum, & in hæc reproborum spirituum ludificamenta: quum nos **CHRISTVS**, idem deus & dei filius suo sanguine acquisierit, & similes angelis esse uelit, imò amplius sibi similes ac conformes qui deus est. Sed quum spiritum dei nihil lateret: tales futuros in nouissimis diebus, spiritu prælogo prædixerant apostoli, ut posteros redderent cautiôres, ne latum quidem unguem discederent à doctrinæ euangelicæ soliditate. Quorum dictorum memoriam eis ad quos scribit innouat Iudas apostolus, dicens:

13 " Vos autem charissimi, memores estote uerborum, quæ prædicta sunt ab apostolis domini nostri **IESV CHRISTI**, qui dicebant uobis, quoniam in nouissimis temporibus uenient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.] Quia hic Iudas meminît apostolorum, & se non connumerat illis, non est sufficiens argumentum ipsum, non fuisse apostolum: nam de ijs loquitur, qui hæc prædixerat, & qui tum dormiebant, ut Petrus & Paulus qui hæc prædixerunt. Petrus capite tertio, secundæ suæ epistolæ: Venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes. Et Paulus 1. ad Timotheum 4. In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisis loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt ueritatem. Et similiter 2. ad Timotheum 3. Iudas autem & Simon Cananites ad longa tempora remanserunt, ut de illis te-

stantur historiae. Et circa ultima tempora adolescentis ecclesiae, institerunt tempora periculosa, circa etiam ultima tempora iuuentutis, ad quae nos peruenisse arbitror quae sunt initium senectae eius, instabunt periculosa, circa quae fides CHRISTI, quae penè absoleta erat, est restituenda, quum CHRISTVS per

Luce 18. euangelium suum rediturus est in mundum. Filius (inquit) hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra? Circa etiam ultima senectae ecclesiae tempora etiam

Apoc. 20. ex apocalypsi instabunt periculosa. Et quum (inquit) completi fuerint mille anni, soluetur satanas de carcere suo, & exhibit, & seducet gentes &c. Et hoc (ut ibi cognoscitur) modico tempore, postea iudicium. Et certe nunc his, & longo ante tempore inter Christianos multi regnant impostores, qui se ultro à CHRISTO & euangelio eius segregant, homines animales, homines spiritum non habentes, sed & an spiritus sit ne quidem scientes aut scire uolentes, ambulantes in impietatum suarum, & suarum inuentionum desiderijs. Et hi in futuro non expectent societatem sanctorum angelorum, sed dei cum sanctis millibus suis aduentantis iudicium, & societatem daemoniorum. Fide uerbi dei, & spiritu ad consortium peruenitur angelorum, infidelitate & carne ad consortium daemoniorum. Et quos in hac uita imitatus fueris, illorum consortia expecta. Sed quid faciemus his magnae infelicitatis & carentiae fidei, & spiritus temporibus uiuentes? Sanè quod suis temporibus faciendum monebat suos Iudas apostolus, in-

quiens:

14 » Vos autem charissimi superaedificantes uosmetipsos sanctissimae nostrae fidei,
 » in spiritu sancto orantes, uosmetipsos in dilectione dei seruate, expectantes misericordiam domini nostri IESV CHRISTI in uitam aeternam.] Sanctissima fides nostra, quae est per solam euangelicam doctrinam, sit nobis speculum, quod iugiter ob oculos nostros, CHRISTVM salutem nostram contuendo, obuersetur. Euangelium CHRISTI nunquam ab ore, nunquam à corde excidat. Oculus noster, & oculi lumen interim sit fides, ut nunquam in falsitatum & errorum tenebris caecutiat, Pes noster sit spes, & plena in deum fiducia, qui nunquam in terrenis & lubricis fallacijs labatur, sed aeternis bonis fixus, ex illis que solis pendens. Cor nostrum sit charitas, quae è spiritu sancto prodiens, inflammet ipsum, ut sit septies lucidius sole, neque unquam algore stygiae noctis, id est, inferni, geletur, quod odium est supernae charitati contrarium. O charitas dei, quae omnia perficis, quae è terrenis coelestes efficis, quae sola in caelum ascendis, quae unum cum deo efficis, transformas semper in id quod est optimum: quia deus charitas est; tu es uia, & sola uia saluans animas, tu es pater, tu es filius, tu es spiritus sanctus in ueritate; tu es charismatum, & diuinorum donorum perfectissimum in participatione. Ergo iuxta diuini hic apostoli dictum, seruemus nosmetipsos in dei dilectione, id est, in illa tam sublimi, tam diuina, tam coelesti fidei charitate. Sed quomodo hanc assequemur? Certe si coaptauerimus nosmetipsos non ex nobis ipsis, se ex gratiae infusione sanctissimae fidei nostrae, uitam nostram spiritualibus fidei operibus deo commendantes, & in spiritu sancto, in spiritu puro & mundo, id donum à deo omni humilitate efflagitantes, & expectantes non ex operibus nostris, non ex iustitia nostra, sed ex misericordia domini nostri IESV CHRISTI uitam aeternam. Non enim opera spiritualia quae operamur, nostra sunt, sed illius qui infundit gratiam, & operandi largitur potentiam. Anima nostra ex se terra est arida & sitiens: gratia autem, imber foecundans è nubibus erumpens, sol uero influens calore confouens, & incrementum praestans, deus est qui omnia in omnibus spiritualibus operatur spiritualia. Quod si crea-

tura

tura illi cooperatur, id insuper dei munus est: ut deo totum & operatio & cooperatio, principale & accessorium, principium & finis tribuatur, nobis autem tanquam à nobis nihil, nisi quod ad labendum est primum. Nos sumus ferrea securis in manu artificis: quæ solum ex se prona est ad casum, qui nihilominus diuino agitante spiritu nosmetipsos coaptamus, atque in templum dei uiui coedificamus. Neque satis est nosmetipsos in dei dilectione seruare, nisi etiam & alios nitamur eadem dilectione arguere, iuuare, seruare. Propter quod subdit Iudas apostolus:

15 „ Et hos quidem arguite iudicatos, illos uero saluate, de igne rapientes, alijs
 „ autem miseremini in timore, odientes & eam quæ carnalis est, maculatam tuni-
 „ cam.] Charitatis officium est eos etiam, quos ad bonam frugem reuocare non
 possumus, quia obstinati, reprobis, & iam condemnati sunt, arguere: ne alios in
 suam perniciem alliciant, & pertrahant tandem in communem perditionem: &
 hi prima tanguntur particula. Charitatis insuper secundum officium est, allectos
 & seductos, sed nondum induratos & obstinatos, de igne gehennæ eripere, & à
 faucibus inferni abstractos cum sollicitudine ad salutem reuocare, & hi secunda
 tanguntur. At non minus charitatis est opus, aliorum in timore dei misereri, quos
 aut aduersitas premit, aut rerum inopia urget, aut malorum persecutio stringit:
 & in eos omnia misericordiæ uiscera impendere, & hi tertia tanguntur particu-
 la. Et non hæc modo ex diuina illa dilectione facienda, sed & propter eum cui soli
 charitatem totam debemus, odire debemus nostram carnalem tunicam, nostrum
 exteriorem & ueterem hominem exuere, crucifigere, & penitus per spiritum fi-
 dei mortificare cum omnibus actibus suis, & tollentes crucem sequi C H R I S-
 T V M, ut tota uita nostra nihil aliud sit quam C H R I S T I uitæ imitatio, odium
 nostræ carnalis & maculatæ tunicæ, id est, crucifixio. Veteris carnis, & concu-
 piscentiæ per regenerationis spiritum & gratiam mortificatio, ingressus est
 sanctitatis, ingressus infusionis uitæ, charitatis, & omnium charismatum, libe-
 rius obtinendorum. Et hæc spiritu mortificata caro, caro noua est. Quid enim
 uetus caro aliud facit, quam impuritatis peccata & maculas, quam mortis infu-
 sionem, & diuinorum odium: & hæc uetus caro, C H R I S T I caro, quæ sancta
 est, & omni gratia perfusa esse non potest. Si uis ergo esse membrum C H R I-
 S T I, & caro de carne, & os de ossibus, odi maculatam carnis tunicam, exue
 concupiscētias, interfice & mortifica porcum luxuriæ, anguem inuidiæ, leonem
 iracundiæ, & omne reptile immundum: quibus enecatis, habetis carnem nouam,
 carnem carni C H R I S T I aptam, corpori C H S I S T I coaptandam, carnem
 sanctam quæ non maculat, carnem quæ non peccat, carnem non uestitam carne,
 id est concupiscētis, sed spiritu. O sancta & admirabilis, sed parum intellecta,
 ἀπάθεια, id est, τῆς σαρκὸς νέκρωσις, quam C H R I S T V S docuit, quam per no-
 uam generationē & à cœlo sancti spiritus illapsus, discipulis suis infudit, quam
 in scripturis apostolorum & euangelistarum, quasi per transfennam uidemus: ad
 quam non penetrat animalis sensus: sed prorsus possibilem negat, & bene qui-
 dem negat possibilem, sed humana potestate: nam hæc non est humanæ, sed di-
 uinæ potestatis: ut nemo gloriatur, nemo in se confidat, nemo in sua potestate,
 sed omnia deo accepta referat, cuius est hæc potestas, & hoc donum nouæ car-
 nis quæ non peccat, hominibus datum per dominum nostrum I E S V M. Quod
 ut cognoscamus & confiteamur, nequæ potestati nostræ quicquam tribuamus,
 sed illi quæ omnia potest, subiungit Iudas, dicens:

16 „ Ei autem qui potens est uos conseruare sine peccato, & constituere ante con-

21 spectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in aduentu domini nostri IESV
 22 CHRISTI, soli deo saluatori nostro per IESVM CHRISTVM dominum no-
 23 strum gloriæ & magnificentiâ, imperium & potestas ante omnia secula, & nunc
 & in omnia secula seculorum. Amen.] Nos omnes qui ad CHRISTI lau-
 crum uenimus, ad nouam carnem regeneriti sumus. Sed non omnes attingimus
 hanc mortificationem, quia ad CHRISTVM huius regenerationis autorem
 non plene conuertimur, non donum id exposcimus, gratiæ eius nos totos com-
 mittentes, ut spiritu suo noxios affectus, ut in suaapte natura infertili terra noxias
 herbas pullulantes conterat; sed magis ut primum ab ineunte ætate pullulant, fo-
 uemus, sequimur, & in illis oblectamur, quousque nos obruant, & pro carne
 CHRISTI noua, sancta & incontaminata, induamur carne peccati, uetusta, im-
 pura, maculata: & qui deberemus esse in corpore CHRISTI, quod est corpus
 uitæ & gratiæ, sumus in corpore mortis & peccati. Sed debebamus à puero, la-
 cte euangelico educari, ne suppullularent illæ mortis spinæ, aut protinus gladio
 spiritus amputare; debebamus intelligere, quis poterat nos seruare: ne in hoc mi-
 serabilis fati barathrum laberemur, & si laberemur, quomodo quod difficilius
 est, liberaremur: quanquam nihil illi qui liberare potest difficile, si omni fiducia
 ad ipsum acceditur: fiducia dico non qua accedens in se, sed in ipso prorsus fidat.
 Et quis nam ille qui seruare potest, & lapsos liberare? Paulus profecto aut in to-
 to, aut in bona parte maculata carnis tunica iam exutus, & stola nouæ carnis in-
 Rom. 8: dutus in persona talium loquens, nos docet, sic exclamans: Infelix ego homo,
 quis me liberabit de corpore mortis huius? Et manifestans liberatorem, respon-
 det: Gratia dei per IESVM CHRISTVM dominum nostrum. Et quis est ex Iu-
 dæ apostoli hic testimonio, qui nos potest usque ad diem mortis nostræ, immo
 usque in nouissimū diem, quū omnes comparebunt ante tribunal CHRISTI in no-
 uissima resurrectione, immaculatos, & sine peccato custodire? Dominus noster
 IESVS CHRISTVS, qui solus deus est, saluator noster. Sed an omnes affectus
 sint crucifigendi & mortificandi, ut habeamus carnem nouam, carnem CHRIS-
 TI immaculatam? Nequaquam, sed solum noxiæ affectus, qui sunt ad mala con-
 cupiscentiæ, ut sunt appetitus auaritiæ, inanis gloriæ, fornicationis, & similes. In-
 noxios autem & quoscumque legimus CHRISTVM habuisse, bonos, maxime si
 spiritus fidei adsit, dicimus. Nam sunt ad necessaria naturæ, aut bonum proximi
 citra ullam offensam insiti affectus, quales sunt affectus & desideria ad fidē, spem,
 charitatem, misericordiam, benignitatem, & id genus, quæ uidentur non nihil ha-
 bere imitationis supereminentiæ & ueræ archetypæ conuersationis CHRISTI.
 Non quod fides, spes, charitas sint affectus, sed cœlestes illapsus, supernæque infu-
 siones bene iam dei dono affectam animam uiuificantes, multo melius quàm an-
 te affectus illos purgantes, illustrantes, consummantes. Et certe affectus illi non
 ex corrupta radice, sed ex præueniente gratia pullulant, & non tam secundum na-
 turam, quàm secundum uocationis gratiam sunt: tametsi sine fide & comitibus
 gratiis perfecti non sint, sed multis egeant, & illis aduenientibus, multo melius
 quàm prius manent. Stellæ enim supra nos in meridie, & si absorptæ à luce, non
 minus lucent quàm in nocte. Siquidem spes quæ à terrenis auocat, purgat: fides
 quæ simplex, & solius uerbi dei est, illuminat. Et charitas, quæ in unius solius do-
 mini cultu & seruitio est, consummat. Spes thesaurizat in cœlo. Fides est totum
 reddens corpus lucidum, totumque euangelicum. Charitas, oculus simplex, plu-
 res dominos nescit, unum solum dominum deum diligens, & omnia propter ip-
 sum, Ergo pro hac obtinenda prorsus immaculatæ, illuminatæ & consummatæ
 uitæ

uitæ innocentia; dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui solus dare potest,
& datam conseruare toto corde in spiritu fidei rogemus, ut patrem
misericordiarum cum ipso & spiritu sancto in perenni inno-
centia, puritate, & sanctitate uitæ laudemus, exalte-
mus & glorificemus, & in hac & in altera uita,
Cui & nunc est, fuit, & erit omnis gloria,
maiestas, imperiū, & potestas ante
omnia, & in omnia se-
culorum secula,
Amen.

COMMENTARII IN IVDÆE EPISTO-
LAM, AD DEI GLORIAM ET
HONOREM, FINIS.

BASILEAE APVD ANDREAM CRAE
TANDRVM, ET IOANNEM BE
BELIVM, MENSE IVLIO.
ANNO M. D. XXVII.

nias nris
nos ds nr.

esto *scilicet*

obis m

ds nr: et

scilicet auas

fecisti

re: ei qd

is defete

dys. P.

memorie

regis i ad

ulq ad

ate i nra

mate cel.

esup et nu

uant ius

pnatur tra

ab omnibus
dys numeris
omnium ut
gratam ex
amius serui
et acceptam
fiat sacrifici
um alla

Decor
omnibus
gec offer
in ara
immola
tiam tu
di tulit
sam. P

Per lignum

nostrum IESVM CHRISTVM, qui solus dare potest,
 toto corde in spiritu fidei rogemus, ut patrem
 cum ipso & spiritu sancto in perenni inno-
 cente, & sanctitate uitae laudemus, exalte-
 m, glorificemus, & in hac & in altera uita,
 nunc est, fuit, & erit omnis gloria,
 potestas, imperiũ, & potestas ante
 omnia, & in omnia se-
 culorum secula,
 Amen.

ARI IN IVDAE EPISTOLA
 DEI GLORIAM ET
 NOREM, FINIS.

